

mortali obligant, et perfectionem acquirere non intendere, mortaliter peccaret, secundum *Sanchez*, *Pellizarium*, *Busenbaum*, *S. Ligorium*, etc., quia, sic vivendo, se in statu fini professionis religiosæ opposito, et in periculo evidenti gravioribus delictis indulgendi constituit, se intolerabilem reddit et meretur expelli; aut si toleretur, plurimum nocet. Si ex remissione animi velit aliquam regulam non servare, erit saltem levis contemptus et peccatum veniale, juxta *Suarez* et alios.

7° Tempore *S. Aug.* quidam contendebant non licere monachis manibus operari etiam pro sustentanda vita, sed omnes orationi, meditationi, lectioni aliisque spiritualibus exercitiis vacare teneri, juxta hæc Christi verba, *Matth.* vi, 22: *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis*, etc. Eos *S. Aug.* confutavit in libro de Opere monachorum, et concilium Carth. IV eosdem damnavit. Quidam magistri Parisienses, e contra, quorum præcipuus fuit *Guillelmus de Sancto-Amore*, in medio tredecimi sæculi, docuerunt religiosos manibus laborare teneri, ut mendicantes a studio sacræ doctrinæ, prædicatione et sacramentorum administratione removerent. *S. Th.* eos refellit in 2 2, q. 187, et in Opusculo 19; et *Alexander IV* librum *Guillelmi* anno 1256 damnavit.

Ut certum apud omnes habetur, 1° religiosos manibus licite operari, et ad id quandoque ex præcepto regulæ teneri, v. g., ex regulis *S. Basilii*, *S. Macarii*, *S. Benedicti*; 2° eos, secluso præcepto regulæ, non magis laborare teneri quam sæculares, quia aliunde habere possunt unde vivant, et otium aliter fugere; 3° eos docere, prædicare, sacramenta administrare aliasque functiones sacras exercere vi status non prohiberi, modo ab habentibus sufficientem obtineant jurisdictionem quam per se non habent; 4° ipsi non secus ac sæcularibus licitum esse causa humilitatis, necessitatis vel utilitatis, mendicare, non vero causa divitiarum acquirendi vel otiose vivendi.

8° Ex *Decretal.* l. 3, tit. 31, cap. 18, regularis qui strictiorem religionem amplecti cupit, licentiam a superiore postulare debet, et ea injuste denegata, libere potest sanc-

tioris vitæ propositum adimplere: imo communiter doceratur eum qui, inconsulto superiore, ad strictius institutum transiisset, peccasse quidem, et tamen valide professum esse, quia votum semper mutari potest in melius. Ratione opposita, dispensationem summi Pontificis requirebant ad transitum in laxiorem vel æqualem religionem. Verum, ex praxi et stylo curiæ Romanæ, et ex expressa constitutione *Bened. XIII*, diei 14 februarii 1726, regulares professi ad aliam religionem etiam strictiorem transire non possunt sine licentia sedis Apostolicæ. Vide *Ferraris*, verbo *Regul.*, art. 1, n. 61, et *Devoti*, t. I, p. 414.

SECTIO OCTAVA. — De religiosorum privilegiis.

1° Episcopi, vi suæ institutionis, habent jurisdictionem completam, pontifici Romano subordinatam, in omnes personas suæ diocesis. Primitus nullo exemptionis privilegio gaudebant regulares: omnes subjecti erant suis respectivis episcopis, qui eos corripiebant et reformabant. Deinde quædam eis concessa fuerunt privilegia, v. g., quod episcopi negotiis eorum temporalibus se non immiscerent, liberam prælati aut superioris electionem eis relinquerent, culpas in claustra admissas non nisi defectu abbatis punire possent, pecuniam pro ordinationibus vel altarium consecratione non exigerent, etc. Serius summi Pontifices, versus undecimum sæculum, virtute supremæ suæ potestatis, quædam monasteria et integros ordines a jurisdictione episcopali declararunt exemptos.

2° Cum exemptiones sint juri communi derogationes, reputantur odiosæ respectu episcoporum, et sensu rigoroso accipiuntur. Ita generatim canonistæ, non solum Galli, sed et Ultramontani, ut *Fagnanus*. Unde 1° exemptio non admittitur ut vera nisi authenticus et clarus exhibeatur titulus; 2° non extenditur ad personas aut causas non expressas per conclusiones *a similitudine*, vel *a fortiori*; 3° in dubiis pronuntiatur pro episcopo.

Jurisdictio regularium exemptorum in suos subditos, tam pro foro interno quam pro foro externo, venit ergo sive mediate, sive immediate, a summo Pontifice.

3^o Quantumvis lata sit exemptio regularium, extra eorum claustra non extenditur, et idcirco episcopi pœnis ecclesiasticis afficere possunt illos qui extra monasterium delinquant, ut statuit Innocentius IV in concilio Lugd. II, et concil. Trid., sess. 7, de Reform., c. 14, confirmavit, et divagantes ad redeundum in monasterium per censuras ecclesiasticas cogere, ut ait Innocentius III, in Decretal., l. 1, tit. 31, cap. 7.

4^o Religiosi exempti 1^o servare tenentur statuta episcopi cultum externum relative ad omnes diœcesis fideles ordinantia, ut campanarum usum, festorum celebrationem, jubilæi stationes, preces extraordinarias pro necessitate publica, et gratiarum actiones; 2^o servare debent jejunia pro necessitate publica præscripta; non ita certum videtur pro aliis jejuniis ab episcopo jussis; 3^o nullam publicare possunt indulgentiam ab episcopo non approbatam; 4^o ex concil. Trid., sess. 4, decreto de editione et usu sacrorum librorum, libros de rebus sacris tractantes publicos facere non debent sine licentia episcopi; 5^o episcopo omnino subjacent quoad doctrinam quam prædicant vel docent; concil. Trid., sess. 5, c. 2, de Reform.; 6^o nec sanctissimum sacramentum exponere, nec benedictionem cum illo dare, nec processiones extra monasterii septa, nec fundare novum monasterium, nec novam ecclesiam vel capellam ædificare possunt sine consensu episcopi; 7^o in propriis ecclesiis prædicare non possunt quin benedictionem ab episcopo diœcesano petierint, et, eo renitente, prædicare nequeunt; in aliis ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, nullo modo prædicare possunt sine licentia episcopi; 8^o confessiones sæcularium etiam sacerdotum aut religiosorum etiam sui ordinis audire non possunt, nisi ab episcopis, per examen, si illis videatur necessarium, aut alias judicentur idonei et approbationem obtinuerint. Hæc statuta fuerunt a Gregorii XV, anno 1622, bulla *Inscrutabili*, et a Clemente X, anno 1670, bulla *Superna magni*.

5^o Ut regularium exemptio cum juribus episcoporum melius conciliaretur, S. synodus Trid. plures statuit casus in quibus episcopi, tanquam sedis Apostolicæ delegati, pro

suo libitu agere possent, v. g., monasteria visitare. In Galliis autem episcopi æstimabant se, non tanquam sedis Apostolicæ delegatos, sed jure proprio posse monasteria etiam exempta visitare, reformationes præscribere circa disciplinam regularem, circa officium chori, etc. Vide celebre decretum cleri Gallicani anno 1635; *Mémoires du Clergé*, t. 6, p. 123, et Edictum regium, t. 7, p. 54.

6^o Communis est opinio apud regulares, plurimorum pontificum Romanorum constitutionibus fundata, plenissimam inter eos dari privilegiorum communicationem, vi cujus gratia uni ordini concessa, non solum ad singula monasteria utriusque sexus ejusdem familiæ, sed ad alios quoscumque regulares extendatur. Plures hac de re reperiuntur constitutiones pontificiæ apud *Ferraris*, verbo *Privileg.*, n. 25 et seq.

Quæ huc usque diximus sunt quidem de jure communi: sed gravis movetur quæstio, an scilicet et quales nunc agnoscendæ sint exceptiones in Galliis.

1^o Lex 13 *germinal an X*, vulgo *Organica*, dicit, art. 10: *Tout privilège portant exemption ou attribution de la juridiction épiscopale est aboli*. Verum lex illa nullam per se habet vim ad tollenda privilegia mere spiritualia.

2^o Ex decreto card. Cæprara 1 junii 1803, et ex praxi generali omnes feminarum congregationes nunc apud nos prorsus auctoritati episcoporum subjiciuntur. Ideo Carmelitanis monialibus diœcesis Cameracensis, patribus Carmelitis in Belgio subjici volentibus, episcopus Cameracensis anno 1834 fortiter eis obstitit.

3^o « Quamvis monasteria Trappensium a jurisdictione » episcoporum exempta sint, ea tamen, ob peculiare rationes, et donec aliter statuatur, jurisdictioni eorundem » episcoporum subsint, qui procedant tanquam Apostolicæ sedis delegati. » Sunt verba decreti a summo Pontifice Gregorio XVI die 3 oct. 1834 approbati. De cætero, exemptio religiosorum quoad spiritualia permanere videtur. Sed jura specialia, quæ, præter jus commune, sibi vindicabant episcopi in Galliis relative ad exemptiones, adhuc existunt: non videtur enim qua ratione plus ces-

lassent quam plura alia privilegia apud nos semper vigentia.

4° Qui a jurisdictione episcoporum eximuntur, a fortiori exempti sunt a jurisdictione parochiali. Monasteria vero auctoritati episcoporum subjecta, nihilominus a jurisdictione parochi communiter sunt exempta, si specialem cappellam habeant.

Famulæ monialium sicut et famuli laici religiosorum a jurisdictione parochiali non eximuntur, nisi intra monasterii septa maneant et perpetui sint eorum commensales, ut dicit Clemens X, bulla *Superna magni*. In his maxime attendendum est ad statuta episcopi, sicut et in exemptionibus ab ipso quibusdam domibus concessis, quod quidem raro expedit.

Hinc 1° abbatissa et superiorissa dispensare possunt in jejuniis, in officio, etc., juxta privilegia sui ordinis prælati concessa, non quidem quasi ex propria auctoritate; quia non fruuntur jurisdictione ecclesiastica, aiunt communiter auctores, sed quasi exercentes nudum ministerium vice prælatorum. Hanc commissionem ipsis facto electionis et confirmationis deputari affirmat S. Lig., l. 4, n. 61. Superiorissæ monasteriorum nostrorum ad ordines olim solemniter approbatos pertinentium eodem gaudent privilegio, cum in favorabilibus veræ sint religiosæ.

Hinc 2° quoniam Clemens VII concessit monialibus Clarissis privilegium dicendi officium laicorum, si ex judicio prælati, confessarii aut abbatissæ ad officium chori non essent satis instructæ; item concessit omnibus regularibus infirmis, vel eis qui infirmis incumbunt, privilegium satisfaciendi, dicendo septem vel sex psalmos a superiore assignandos, cum septem *Pater* et duobus *Credo*; cunctæ moniales, per communicationem, iisdem privilegiis uti possunt. Unde, si culpabiliter omittant officium laicale, sibi pro officio chori legitime assignatum, graviter non peccant, quia tunc se habent ut laicæ, et laicæ ad talem recitationem non tenentur sub mortali.

Hinc 3° omnes regulares professi gaudent indulgentiis cuicumque ordini religioso concessis, ut in bulla Pauli V

Romanus Pontifex, § 8, statuitur et communiter docetur. Vide S. Ligorium, l. 4, n. 60 et seq.

8° Religiosi et moniales gaudent etiam privilegio canonis, ut in Tractatu *de Censuris* ostendimus.

SECTIO NONA. — De ejectione professi et obligationibus ejecti, ac fugitivi et apostatæ.

1° In nulla societate bene ordinata admittendum est principium ordinis subversivum: at contingere potest ut in ordinibus religiosis et in monasteriis reperiantur membra putrida, bono regimini valde noxia: necesse est ergo ut resecari et expelli possint, quando aliter bonum commune servari non potest. Unde hæc facultas in variis juris canonici capitibus expresse continetur, et S. Cong. concilii eam describit ac diversis regulis subjicit, in decreto jussu Urbani VIII die 25 septembris 1624 edito et in altero jussu Innocentii X die 24 julii 1694 dato. Duo hæc decreta reperiuntur in extenso apud *Ferraris*, verbo *Ejicere*, in initio.

2° Ex quibus decretis colligitur quinque requiri conditiones ut regularis professus expelli possit, scilicet: 1° relapsus in grave crimen ejusdem vel alterius speciei, ut fornicationis, ebrietatis, percussionis, furti, violationis paupertatis, apostasiæ, etc. Ante declarationem jussu Urbani VIII factam, grave delictum semel admissum ad ejectionem sufficiebat; nunc exigitur relapsus, excepta Societate Jesu, in qua ejectio post primam culpam adhuc, ex speciali privilegio, fieri potest; 2° ut delinquens fuerit admonitus, et pœnæ iteratæ ad ipsum corrigendum adductus; 3° ut processus juxta proprias ordinis constitutiones fuerit instructus; 4° expellendi incarcerationio cum penitentia et jejunio, per annum ex decreto Urbani VIII, et per sex menses ex decreto jussu Innocentii X dato: sed hæc clausula nunc stricte impleri non potest in Gallia; nam, ex lege 13 decembris 1799, art. 81, quicumque legalem potestatem hoc faciendi non habens, alterum detinuerit aut ad detentionem ejus concurrerit, detentionis

arbitrariæ reus erit, et ex Cod. pœn. art. 341 et seq., ad triremes damnabitur, ad tempus vel in perpetuum, secundum circumstantias. Hæc igitur probatio nunc admitti non potest. 5^o Incurribilitas; volunt enim canonistæ ut, expleto carceris tempore, non statim ejiciatur delinquens, nisi signis aut factis se ostendat pervicacem et incorrigibilem.

2^o Sanchez, Busenbaum, Collet, S. Ligorius, etc., putant moniales nunquam ejiciendas esse, sed potius carceri perpetuo mancipandas. Verum apud nos non magis nunc eas quam viros in carcere retinere liceret: alia igitur non restat via bono monasterii providendi, nisi moniales omnino perniciosas et incorrigibiles ejiciendo, quando cuncta incassum adhibita sunt media quæ zelus religionis et longanimis charitas suggerere potest. Auctoritas civilis in Gallia nullas nunc agnoscit moniales quæ non subjiciantur ordinario, cujus est, ex decreto 18 februarii 1809, art. 17 et 18, de omnibus pœnis disciplinæ cognoscere. Unde si episcopus, auditis capituli vocalibus, monialem incorrigibilem ejiciendam esse pronuntiaverit, nihil ex parte civilis potestatis erit timendum. Plura jam vidimus hujusmodi exempla.

4^o Ex decreto Cong. jussu Innocentii X edito, § 3, expulsus habet recursum ad sanctam Sedem et ad S. Cong. concilii; tempus ad appellandum concessum est decem dierum, a die intimatæ sententiæ numerandorum, ut docet Ferraris, n. 33 et 34, pluribus juris capitibus innixus. Interea reus in carcere deberet persistere. Nunc autem, apud nos, si religioni sit noxius, expelli posse nobis videtur.

5^o Sententia expulsionis statim significanda est a superiore ordinario loci in quo situm est monasterium, et expulsus se illi præsentare tenetur: si clericus sit, inhabilis est ad quodlibet sacrorum Ordinum exercitium, ut expresse habetur in decreto sub Urbano VIII edito, § 6; nec ab ordinario habilis reddi potest, quia vi expulsionis factus est infamis.

6^o Juste ejectus alimenta prætere non potest a re-

ligione cujus erat membrum, quia si paterna providentia privetur, hoc sibi imputare debet. Sic Ferraris, n. 45, plures alios citans; et ita statuit Bened. XIII, die 14 junii 1728, pro religiosis Societatis Jesu qui ante solemnem professionem ejicerentur, etiamsi titulo religiosæ paupertatis ad sacros Ordines fuissent promoti.

7^o Injuste vero ejectus et qui contra sententiam expulsionis appellavit, pendente lite, jus habet obtinendi a monasterio alimenta, imo et expensas pro lite necessarias, ut pluribus auctoritatibus probat Ferraris, n. 48.

8^o Si quis dotem monasterio tradidisset, eam juste vel injuste ejectus repetere posset deductis expensis pro ipso factis; et persuasum habemus quod tribunalia civilia damnarent monasterium ad hujusmodi restitutionem. Si quid autem moniali solutum ob functiones personales, vel illarum occasione datum fuerit, censetur intuitu religionis acquisitum et a monasterio retineri potest.

De obligationibus ejectorum, fugitivorum et apostatarum.

1^o Religiosus professus a superioribus absolute dimissus, dicitur *ejectus*; qui libere exiit ad longum tempus, nesciente aut non consentiente superiore, cum animo tamen revertendi, est *fugitivus*; sine animo revertendi, est *apostata*.

2^o Ejecti, fugitivi et apostatæ stantes in sæculo ad vota religionis essentialia tenentur, ut communiter docent auctores; regulares enim in episcopatum assumpti ad vota et ad regulam instituti tenentur, in iis quæ cum sua dignitate non sunt incompatibilia, ut communiter docetur: ergo a fortiori ejecti et fugitivi, qui, sua culpa, a tali obligatione immunes fieri non potuerunt. Omnimodam igitur castitatem servare debent: sed obligatio paupertatis et obedientiæ suspenditur, quoad exercitium, circa ea quæ suo statui sunt necessaria; v. g., rerum temporalium administrationem habent, civiliter se obligare, de acquisitis ad finem sibi procurandi alimenta disponere, domicilium mutare aliaque in claustris prohibita, sed in sæculo necessaria,

agere possunt, quia de facto non habent superiorem a quo dirigantur. Non possent vero de acquisitis aliter quam pro necessariis disponere, sine legitimi superioris licentiâ; quia eorum dominium non pro se, sed pro monasterio acquisierunt; qui revera manent religiosi, se emendare et ad propria monasteria redire tenentur. Si ergo in sæculo decederent, eorum hæreditas ad respectiva monasteria, secundum jus canonicum, pertineret, non vero juxta hodiernum jus civile nostrum. Expensas autem ab ipsis in sæculo factas etiam pro vitæ necessariis, religio solvere non teneretur, nec in casu quo eos de novo susciperet, nisi forte haberent peculium ex quo solutio fieri posset.

2° Tenentur similiter ad alia vota quæ in aliquibus religionibus votis essentialibus adduntur, et ad cæteras regularium observationes quæ cum statu suo facile conciliari possunt; non autem ad eas quæ difficiliores essent. Ita *Ferraris* et multi apud ipsum, contra *S. Ligorium* et plures ab eo citatos, qui volunt ejectos ab hujusmodi observantiis, ut jejuniis, vigiliis, ciborum delectu et similibus liberos esse, quia earum observatio statum regularem comitatur.

3° Ejectus, fugitivus vel apostata se corrigere tenetur et petere ut iterum admittatur, quia, sicut habens votum ingrediendi religionem curare debet, quantum potest, ut admittatur, ita *a fortiori* et qui religionem jam professus est; alioquin ex malitia sua reportaret commodum, nempe libertatem manendi in sæculo. Monasterium respuere non potest regularem etiam juste ejectum qui se ostendit emendatum et petit regressum, ut expresse habetur in *Decretal.*, l. 3, tit. 31, cap. ultimo, et in *Decreto Cong. concil. sub Urbano VIII edito*. Si autem ejectus, fugitivus vel apostata regressum sincere petens, obtinere non possit, tuto manere potest in sæculo, nisi religionem laxiorem inire velit: ad id non tenetur, quia eam non vovit, et jam per se non stat quominus suam observet, si semel, bis aut ter petierit ut reciperetur et fuerit repulsus.

Si autem manens in sæculo, in Ordinibus etiam minoribus sit constitutus, in habitu clericali incedere tenetur,

ut declaravit S. Cong. die 1 aprilis 1628: Pius VI, per indultum diei 19 martii 1792, omnibus Galliarum archiepiscopis, episcopis et diocesium administratoribus concessit facultatem, v. g., dandi regularibus cujuscumque ordinis vel instituti, qui extra conventum vivere et regularem habitum dimittere coacti sunt, induendi vestes sæculares, ecclesiastico tamen viro convenientes, ac permanendi in eo habitu sub obedientia ordinarii, dum jurisdictione superioris regularis in se uti non poterant.

Religiosi conversi, aut in Ordinibus saltem minoribus non constituti et ejecti, vestes laicales deferre possunt, ut tenent *Suarez*, *Ferraris* et alii plures.

4° Prælati ordinum fugitivos et apostatas requirere tenentur, si absque gravi ordinis detrimento possint, quia jure divino et naturali saluti eorum invigilare debent: non tamen eos recipere tenentur, nisi videantur correcti; quia, sicut incorrigibilis expelli potest, ita et fugitivus non correctus potest non recipi. Ita *Layman*, *Sanchez*, *Busenbaum*, *S. Ligorius*, etc.

5° Ejectus autem, vel fugitivus aut apostata ad religionem rediens, non tenetur de novo novitatum obire et professionem emittere, ut ostendit *Ferraris*, verbo *Ejicere*, n. 36, addens non esse statim ad gradus et præcedentias restituendum, sed prius probandum.

6° Ubi plura monasteria faciunt unum corpus sub eodem capite, qui vovit de uno ad aliud transferri potest etiam invitus; secus vero, si singula suos habeant superiores sub episcopo vel Papa, quia obedientiam non vovit nisi in tali conventu determinato.

Notandum fugitivos ob solam fugam jure nullas incurere penas, apostatas vero ipso facto excommunicatos esse juxta communem sententiam. In nostra autem diocesi, excommunicatio est certa et episcopo reservata. Regulares, habitum sine rationabili causa dimittentes, graviter peccant et excommunicationem ipso facto incurrunt. In *Sexto* l. 3, tit. 24, cap. 2.

SECTIO DECIMA. — Specialia de monialibus.

Priusquam essent moniales proprie dictæ, multæ erant virgines ac viduæ Deo consecratæ etiam in primis Ecclesiæ sæculis, quas sæpe commemorant *S. Cyprianus*, *Tertullianus*, *Sozomenus*, *Socrates*, etc. Deinde quo tempore cæperunt monachi, fuerunt pariter monialium cœnobita: soror *S. Antonii*, soror *S. Pachomii* fuerunt virgines et aliarum puellarum magistræ. *S. Greg. Naz.* refert, *Orat.* 20, n. 89, *S. Basilium* cœnobita virginum instituisse. *Theodoretus* refert, *Historia relig.*, cap. 30, innumeras suo tempore exstitisse virgines, quarum aliæ vitam solitariam ducebant, et aliæ vitam communem in cœnobiis; ita ut ducentæ et quinquaginta in uno monasterio, et plures, degerint. In Occidente multa similiter et valde numerosa erant virginum cœnobita

Quæ de regularibus in genere diximus, monialibus etiam applicari debent, in quantum mulieres illorum sunt capaces; sed quedam de monialibus specialiter dicenda sunt, nempe 1° de earum monasteriis, dote, numero et suppressione; 2° de earum clausura; 3° de accessu ad earum monasteria et locutione cum illis; 4° de earum confessariis; 5° de earum superioribus; 6° de illarum obligationibus; 7° de puellis apud eas educandis.

Punctum primum. — *De fundatione monasteriorum in genere, et specialiter de monasteriis virginum eorumque dote, numero ac suppressione.*

1° Ad legitime fundandum monasterium regulare, sive virorum, sive mulierum, requiruntur 1° beneplacitum Apostolicum, ex *Sexto*, l. 3, tit. 17, cap. unico, et l. 5, tit. 6, c. unico; 2° licentia episcopi in cujus diœcesi novum erigendum est monasterium, ex concilio *Trid.*, sess. 25, c. 3, de *Regul.* Quidam inde voluerunt concludere beneplacitum Apostolicum, post citatum concilii *Trid.* decretum, amplius necessarium non esse; sed *Bened. XIV*, de *Synodo diœces.*, l. 9, cap. 1, n. 9, ostendit sanctam synodum *Trid.* nihil auctoritati *S. Sedis* detraxisse, ac conse-

quenter communem esse opinionem non licere regularibus, tam intra quam « extra Italiam, nova monasteria, » aut conventus, sive collegia fundare, sola episcopi localis » auctoritate, sed Apostolicæ sedis licentiam præterea necessariam esse; » 3° consensus parochi, ut expresse docet *Ferraris*, verbo *Conventus*, art. 1, 36 et 41; 4° consensus regularium qui sunt intra quatuor milliaria, si agatur de Mendicantibus; 5° reditus annuus elemosynæ consuetæ sufficientes sustentationi saltem duodecim religiosorum, ut *Greg. XV* definivit per const. *Cum alias*, 17 aug. 1622, et *S. Cong. concil.* per decretum jussu *Urbani VIII*, die 21 junii 1625 editum. Episcopi est judicare an novus conventus habiturus sit unde duodecim religiosi congruenter vivere possint, illudque summo Pontifici testari; et similiter, an religiosis jam in eodem loco existentibus futurus sit noxius; *Ferraris*, v° *Conventus*, art. 2, n. 22 et 27. Monasteria exemptorum vel exemptarum in quibus non existunt saltem duodecim fratres aut monachi, ordinarii loci visitationi, correctioni et omnimodæ jurisdictioni subjiciuntur, ex tenore bullar. *Gregorii XV* et *Urbani* apud *Ferraris* relatarum.

2° Eadem servanda sunt pro instituendis novis puellarum monasteriis, ut expresse docet *Ferraris*, verbo *Conventus*, art. 1, n. 31, ac pro erigendis novis religiosorum conventibus, cum ea differentia quod monialium domus construendæ sint intra urbes vel oppida frequentia, aut saltè in loco ubi sint in tuta custodia: hoc inferitur ex concilio *Trid.*, sess. 25, cap. 5, de *Regul.*, præcipienti episcopis aliisque superioribus curare ut sanctimonialium monasteria extra mœnia urbis vel oppidi constituta, in urbes vel oppida transferantur, si ita videatur expedire. Nihil vero obstat quominus monasteria virorum in desertis locis, in montibus et sylvis collocentur.

4° In monasteriis sub hoc regimine statutis, ut nunc communiter statuuntur, numerus monialium non determinatur: in incipienda fundatione pauca sufficiunt; postea numerus sine termino excrescere potest: et quoniam non est periculum ne novus conventus conventibus jam

existentibus graviter noceat, nulla est ratio consensum aliorum regularium expetendi; et de facto non expetitur, sed tantum consensus episcopi, qui parochum de commodo et incommodo interrogat, si expedire iudicet.

Nunc autem in Gallia beneplacitum Apostolicum non requiritur ad novorum monasteriorum erectionem aut translationem, ut moniales lucrari possint omnes indulgentias suis institutionibus respectivis concessas. Sola episcoporum auctoritas ad nova hæc monasteria regulariter constituenda sufficit. Sic tradit responsio S. Pœnitentiariæ diei 2 augusti 1838 ad nos directa, et nova responsio ejusdem S. Pœnitentiariæ, diei 3 februarii 1841 magis explicita et data in forma authentica, *idque ex indulto SS. Pii VII a sanctissimo domino Papa Gregorio XVI iterum confirmato.*

5° Multa a diversis summis Pontificibus statuta fuerunt circa monasteriorum regularium unionem, suppressionem, exemptionem, episcopis subjectionem, quæ in præsentibus circumstantiis nullius fere sunt applicationis apud nos. Ea igitur brevitatis causa omittimus.

Punctum secundum. — *De monialium clausura cum appendice de clausura religiosorum.*

Clausura regularis in genere duo importat, scilicet prohibitionem egrediendi e monasterio et prohibitionem ne extranei in illud ingrediantur, nisi in certis circumstantiis et cum nonnullis conditionibus, quæ non sunt eadem pro viris et mulieribus, nec pro omnibus ordinibus.

1° Certum est clausuram respectu monialium et a fortiori respectu religiosorum ad essentiam religionis non pertinere, et usque ad Bonifacium VIII fuisse tantum consilii, valde quidem commendatam, non vero absolute præscriptam, ut aperte tradunt *Suarez*, t. 4, et *Pellizarius*, in-fol. t. 2.

2° At Bonifacius VIII, relatus in Sexto, l. 1, tit. 16, cap. unico; concil. Trid., sess. 25, cap. 5, de Regul.; S. Pius V, const. *Circa pastoralis officii*, et altera const.

Decori et honestati, et Greg. XIII, const. *Deo sacris*, strictam præscripserunt clausuram pro omnibus monialibus professis cujuscumque regulæ, ordinis et nominis, etiam Tertiariis in congregatione viventibus, sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ. Unde, quamvis clausura expresse non contineatur in regula cujuscumque monialis, continetur virtualiter in emissionem triumvotorum, ita ut omnis professa in religione approbata excommunicationem majorem incurrat, si temere limites monasterii transgrediatur: eandem pœnam incurrunt omnes personæ, sive laicæ, sive ecclesiasticæ, quæ monialem quomodocumque adjuvant ad violandam clausuram, ei aperiendo, eam comitando, receptando, etc., et superiores licentiam ei concedentes, dignitatibus, officiis et administrationibus privantur, ut statuit S. Pius V, in const. *Decori et honestati*.

Non est dubium quin summus Pontifex a clausura dispensare possit moniales solemniter professas, et de facto Leo XII, die 22 decembris 1826, religiosas Sanctissimi Cordis Jesu approbavit, quamvis ex suo instituto strictis clausuræ legibus non subjiciantur.

3° Eam pœnam tamen non incurrunt qui monialem injuste egressam comitantur vel recipiunt, ad providendum ejus honori, castitati, vel urbanitatis, consanguinitatis, amicitia, etc., gratia, quia hæc non sunt cooperatio ad clausuræ violationem.

4° Clausuram violant moniales et excommunicationem incurrunt in casibus sequentibus: 1° quæ ambobus pedibus terit ostium clausuræ uno vel altero palmo, ut communius docent auctores, contra nonnullos; 2° quæ ascendit super tectum domus, ex decisione Cong. episc. diei 16 septemb. 1609: si tectum correspondeat spatio extra clausuram sito, nullum est dubium; si vero correspondeat spatio intra clausuram jacenti, plures contendunt censuram non incurri. Observat *Ferraris*, verbo *Moniales*, art. 3, n. 11, resolutionem S. Cong. esse sine ulla distinctione; 3° quæ se dimitti facit per fenestram correspondentem viæ sæcularibus patenti, etsi totaliter non descendat,

sed maneat suspensa : ita *Pelliz.*, t. 2, et *Ferraris*, *ibid.*, n. 12; 4^o quæ ascendit arborem in monasterio positam et procedit ad rimum supra spatium extra clausuram situm prominentem : ita *ibidem* et *ibid.* ex const. Greg. XIII *Deo sacris*; 5^o quæ egreditur e janua clausuræ ad aliam ulteriorem claudendam, qua pateat aditus sæcularibus venientibus ad rotam, ad crates, seu ad loca colloquiis destinata, vulgo *parloirs*, ad domos contiguas a feminis servitricibus monasterii (*tourières*) habitatas, ad partem exteriorem suæ ecclesiæ, etc. Sic Greg. XIII in const. *Deo sacris*.

Quæ per fenestras extra monasterium prospiciunt vel se prospiciendas obijciunt, contra finem clausuræ peccant; censuram tamen non incurrunt, quia limites clausuræ reipsa non transgrediuntur; item nec quæ manum vel caput per fenestrellam cratis protendunt, propter eandem rationem.

5^o Decretum concilii Trid. et constitutiones summorum Pontificum circa monialium clausuram procul dubio recepta sunt in Gallia, ut fidem faciunt *Mémoires du Clergé*, t. 4, p. 1697; *Coll. Andeg.*, t. 12. Incurritur ergo excommunicatio in casibus memoratis, sed reservatio ejus non recepta est, aut consuetudine fuit abrogata; nam episcopi ab ea absolvere solent, non solum quando est occulta, quod dictis constitutionibus probabilius non est contrarium, sed etiam ubi est publica, quod eisdem constitutionibus evidentè adversatur.

6^o Ingressus intra septa monialium, absque justa causa et legitima facultate, prohibitus est a Bonifacio VIII omnibus personis utriusque sexus sine censura; a concilio Trid., decreto citato, sub pœna excommunicationis, sed non reservata; a S. Pio V et a Greg. XIII. const. *Ubi gratiæ*, sub pœna excommunicationis summo Pontifici reservatæ, intra Italiam et extra urbem. Hæc igitur reservatio non existit in Gallia, etiam si ingressus fuisset ad malum finem aut prætextu licentiarum. Vide *Ferraris*, verbo *Monialis*, art. 3, n. 47 et 52. In Rituali nostro est casus episcopo sine censura reservatus.

7^o Sub dicta prohibitione comprehenduntur 1^o pueri et infantes utriusque sexus, ut sæpe sæpius declaravit Cong. episc. et regul., signanter die 22 martii 1580; 2^o omnes active influentes in talem ingressum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimentum, januam aperiennes, etc.; 3^o prælati, episcopi, ipsimet cardinales respectu monasteriorum jurisdictioni suæ non subjectorum, ut inferitur ex decreto concilii Trid. et constitutionibus supra citatis.

8^o *Sanchez*, *Suarez* et alii plures docebant imperatores et imperatrices, reges et reginas, eorum filios ac filias, fundatrices et insignes benefactrices clausuram monialium cum decenti comitatu ingredi posse, quia hujusmodi personæ, propter excellentiam et dignitatem, in prohibitione non continentur, nisi expresse nominentur: negabant alii plures, et Bened. XIV, constit. *Salutare*, diei 3 januarii 1742, indulta et privilegia respectu quarumcumque personarum etiam mentione speciali dignarum revocavit. Nulla nunc igitur persona claustra monialium ingredi potest sine legitima licentia: soli excipiuntur locorum ordinarii et superiores quibus monasteria subjiciuntur, « in tamen » necessariis et servatis aliis de jure servandis, et non aliter omnino. « Sunt verba const. Bened. XIV, § 3.

9^o Licentiam ingrediendi clausuram monialium justa de causa concedere potest episcopus, propria auctoritate, pro monasteriis sibi subjectis, et tanquam sedis Apostolicæ delegatus, pro monasteriis exemptis, ex conc. Trid., sess. 25, cap. 5, de Regul., et communi doctorum sententia. Idem potest vicarius generalis, si ad hoc habeat mandatum, juxta plures; non sufficit vero facultas generalis, ut S. Cong. concil. a *Suarez*, t. 4, relata declaravit. Sed alii probabilius dicunt apud *S. Ligorium*, l. 7, n. 224, hoc speciale mandatum non esse requisitum, quia sub nomine ordinarii vicarius generalis, qui facit unum cum episcopo, intelligitur. *A fortiori* idem potest vicarius capitularis, sede vacante.

10^o Pro ingressu in monasteria regularibus subjecta,

stando in jure concilii Trid., sufficere videtur licentia superioris regularis, et sic olim respondit S. Cong. concil. ; sed eadem Congreg. posterius magis clausuræ observationi consulere volens, facultate a summo Pontifice sibi tradita utens, decrevit die 13 nov. 1610, 21 maii 1630 et tandem 17 maii 1704, quod deinceps licentia superioris regularis non sufficeret, nisi accederet et licentia episcopi. Sic longe et expresse habet *Bened. XIV*, de Synodo diocesis., l. 13, cap. 22, n. 23, qui affirmat Urbanum VIII approbasse quod definitum fuerat, et addidisse hujusmodi facultates ab episcopo solo concedendas esse.

11° *Sanchez, Suarez* et alii plures contendunt hanc licentiam dandam esse in scriptis sub pœna nullitatis etiam pro foro interno, quia concilium Trid. totis verbis dixit : « ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat... » sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta » sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. » Alii, ut *Lessius* et *Viva*, negant, dicentes scripturam requiri tantum pro foro externo, non autem ad valorem concessionis. Prior sententia videtur probabilior, ut pote textui decreti concilii Trident. conformis. Imo S. Congreg. concil. exhibetur apud *S. Ligorium*, l. 4, n. 123, vº *Hic*, ut declarans *talem licentiam oportere esse expressam*. Vide etiam, l. 7, n. 223.

12° Episcopus aut ab eo deputatus generalem concedere potest et debet licentiam ad tempus duraturam, v. g., ad sex menses, ad annum, introducendi in monasterium medicos et chirurgicos ordinarios, factores, syndicos, fabros, hortulanos, molitores, bajulos aliosque operarios ad servitium monialium necessarios, et superiorissa curare debet ut hæc licentia tempore opportuno renovetur. Nulla determinatur forma scripti : sufficit ut personæ introducendæ per suas qualitates in charta designentur cum motivis ingressus, et episcopus vel superior inscribit : *Valeat ad...* deinde : *Renovatur pro...* etc., et chirographum apponit. Quidam arbitrantur non requiri ut personæ aliter designentur superiori quam per earum professionem ; sed *S. Ligorius* declarat, l. 7, n. 223, se huic opinioni acquiescere

non posse, et censere necessarium esse ut superior cognoscat personarum qualitates, videlicet, an ingressuri sint viri probi, maturæ ætatis, etc. Advertit prælatum committere posse abbatissæ, vel confessario, vel alteri viro prudenti generalem facultatem concedendi licentiam introducendi in monasterium personas convenientes et ad talia et talia operum genera necessarias. Hujusmodi generales licentiæ concedi solent superiorissis in nostra diœcesi, ad minus singulis annis renovandæ.

Attamen *Pellizarius*, t. 2, dicit licentiam pro medico renovandam esse singulis trimestribus, ex decisione Cong. regularium, die 27 martii 1588 ; postea tolerat eam pro medico et operariis in quolibet semestri renovari, et alteram ejusdem Cong. allegat responsionem. Nostra autem praxis in eo præcipue fundatur quod singulis annis tantum monasteria visitare soleamus.

13° Quælibet causa ad validitatem hujus licentiæ non sufficit, sed requiritur necessitas ex parte ipsius monasterii petita ; dicit enim concil. Trid. : « Dare autem tantum » episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis : » in solam igitur monasterii utilitatem permittitur ingressus, non vero in gratiam exterorum, nisi jus naturale aut divinum aliud suadeat. Non tamen stricta hic intelligitur necessitas, sed moralis, cum videlicet quævis rationabilis causa intervenit, ut aiunt *Sanchez, Barbosa, S. Ligorius* et alii, qui dicunt minorem requiri causam pro ingressu feminæ quam viri, consanguineæ quam extraneæ, pro ingressu diurno quam nocturno, etc. Sed talis licentia concedi non potest ad assistendum cæremoniis religiosis, ad visitandas moniales infirmas, et multo minus ad videnda loca interiora. Clerus ad sepulturas monialium clausuram ingreditur ; id statuitur generaliter in earum cæremonialibus libris.

In necessitatibus quæ nullam patiuntur moram, ut in casu incendii, violentiæ et similium, nulla requiritur licentia ad ingrediendum neque ad egrediendum, quia lex humana non obligat cum tanto incommodo.

14° Qui habent licentiam ingrediendi pro uno servitio

præstando, eo peracto, ingredi iterum non possunt ad aliud faciendum; ad eum vero locum tantum ubi agere debent ire possunt, et non excusarentur si curiositatis causa per monasterium divagarent, atque mortaliter peccarent, juxta *S. Ligorium*, si, finito negotio, diu commorarentur intra clausuram: secus, si brevis sit mora, et in utroque casu non incurritur excommunicatio, saltem probabilius, quia legitima existit licentia ingrediendi, et violatio, ut pote odiosa, in sensu stricto intelligenda est. Imo qui parum immoratur, etiam a veniali excusari potest, quia hoc præceptum, ut morale, morali modo est accipiendum, et sic usu receptum est. Ita plures apud *S. Ligorium*, l. 7, n. 228, qui cum *Diana* æstimat quadrantem esse moram brevem.

15° Medicus ex justa causa cum debita licentia monasterium intrans, duabus monialibus associari debet, inquit *S. Ligorius*, n. 226, et intrare solus, nisi infirmitas sit valde gravis; quo in casu alios, ex consensu abbatissæ vel superiorissæ, si prælatus consuli nequeat, secum ducere potest. Medicus vero extraordinarius ad nutum monialium introduci non potest.

16° Moniales clausuram violantes et qui eas in tali violatione adjuvant, excommunicationem in decreto concilii Trid. et in const. summorum Pontificum latam, signanter in const. *S. Pii V Decori*, diei 24 jan. 1570, incurrunt, ut generaliter docent auctores; quædam tamen justæ exprimuntur causæ egrediendi in const. *S. Pii V*, nempe *causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ*; sed requiritur ut episcopo loci manifestatæ fuerint, si per tempus liceat, etiamsi monasterium esset exemptum, et ab eo expresse in scriptis approbatæ. Hæc igitur licentia a superiore regulari concedi non potest, nec ob infirmitatem quantumvis gravem, quæ periculum contagionis non inducit; talis quippe casus in bulla non continetur, et insuper, eo admissio, lex clausuræ magnum subiret detrimentum, quia tales morbi frequenter occurrunt.

Si autem periculum graviter urgeret et nullam pateretur moram, ut in magno incendio, in inundatione, in ruina domus, non exspectanda foret ordinarii licentia ad exeun-

dum, ut patet, quia lex ecclesiastica in tali circumstantia non obligat.

Periculo autem transacto, aut curatione morbi contagiosi finita, monialis egressa statim redire tenetur, quia, cessante causa dispensationis, cessat ipsa dispensatio. Ita *Sanchez, Bonacina, S. Ligorius*, etc. Dicunt tamen vocem *statim* moraliter intelligendam esse, et a mortali excusant monialem quæ moram per unum aut duos protraheret dies.

17° *Suarez, Pellizarius, Ferraris* et alii dicunt monialem e monasterio in aliud fundandum aut jam existens transferri non posse cum solo ordinarii consensu, sed requiri insuper licentiam sedis Apostolicæ, etsi translatio fiat ad monasterium ejusdem ordinis. *Bened. XIV, const. Pastor bonus*, diei 13 april. 1744, § 36, tribuit majori Pœnitentiario facultatem concedendi monialibus tantum ultra montes existentibus transitum ab uno monasterio in aliud, legitima concurrente causa, « committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi et exsequendi » arbitrio ordinarii, cum clausis opportunis pro casuum varietate. » Hæc quidem intelligenda nobis videntur de monialibus exemptis; nam translationes aliarum monialium quotidie fiunt cum litteris obedientiæ episcopi cui subjiciuntur, et in opere gallico, *les Mémoires du Clergé*, t. 6, p. 635, 638 et 639, hoc supponitur ut consuetum.

18° Duplex communiter distinguitur clausura, una quæ dici potest necessaria, jure universali apud regulares recepta, cui certa ita subjacent loca ut ab ipsis superioribus clausuræ subtrahi nequeant, qualia sunt dormitoria, refectoria, etc. Alia vero clausura est arbitraria quæ non eodem modo apud omnes observatur et variari potest secundum episcoporum aut prælatorum generalium prudentiam. Hæc clausura vel stricta est si nempe non admittat extraneos, vel minus stricta si eos admittat, licet pro regularibus clausura reputetur: sic in monasteriis Hospitaliarium, præter claustrum regulare, quoddam determinatur spatium sæcularibus non interdictum, per quod moniales pro servitio hospitii circumire possunt: